



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 8. Rustici ad capessenda arma in Thuringia a Münzero concitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

§. VII.

*Friderici Saxoniae Electoris
obitus.*

*Sleid l 5.
p. 135.*

Fervente hoc tumultu Fridericus Saxoniae Elector, ac insignis Lutheri fautor vivis ereptus est die quinta Maji hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto. Aspexerat is primam lucem die decima septima Januarii Anno supra millesimum quadringentesimo sexagesimo tertio.

§. VIII.

Rustici ad capessenda arma in Thuringia a Münzero concitati.

*Meshov. in
hist Anab.
Pallav. l. 2.
c. 12.*

Interea rustici ubique aut cæsi, aut arma ponere, in Germania compulsi sunt, exceptis iis, qui Thuringiam, ubi Münzerus Mülhusii sedem suam fixerat, incolebant, nam hi Germanorum clade adeo non ad subjectionem permovebantur, ut etiam insolentiores fierent, amplisque Münzeri promissis seducti summa arrogantia novas pacis conditiones, oblatamque præteritarum injuriarum oblivionem rejicerent; quocirca Mansfeldius Comes, cujus ditones paulo ante devastabant rustici, copias contra eos eduxit,

eduxit, ac rebelles clade non adeo magna affecit; quippe non nisi ducenti eorum cæsi sunt, reliquis Frankusium fugere compulsis. Mox vero Comiti suppetias venerunt Fœderatorum Principum exercitus, Georgius Saxoniae Dux, Joannes ejusdem Ducatus Elector Friderici Successor, & Hassiæ Princeps præter Brunsvicensem Ducem. Eo tempore seditiosorum exercitus in quodam colle prope Frankusium castra metabatur, curribus ac plaustris tam scite munita, ut ea aggredi magni moliminis res esset; id tamen Principibus saluti fuit, quod rustici admodum exiguo tormentorum apparatu instructi ac potissimi eorum inermes, ac militaris disciplinæ ignari essent. Nihilominus Münzerus a misera hac turba derelinqui veritus, sermonem habuit, in quo occasione ex iride, quæ tam forte apparuit, desumpta, victoriam adversus hostes suos reportandam e mentito Dei afflatu pollicitus est, „Deus stat pro nobis, inquiebat, ecce signum, ac clementiæ suæ testimonium! vestros oculos attollite, conspiciate iridem, quam cum & nos vexillis nostris insertam habeamus, haud luculentiori signo Deus nobis posset declarare, quod, ipse prælium nostrum secundare, ac excidium Tyrannis comminari

Sæcul. XVI.

A.C. 1525.

Sleid. l. 5.

p. 138.

ri

Sæcul. XVI „ ri velit ; strenue igitur in hostes irru-
 A. C. 1525. „ te, certi estote, Deum vobis præsto
 „ futurum, ac Dei voluntatem esse, ut
 „ pacem cum impiis respuatis. „

§. IX.

*Rustici Frankenhufii prælio
 devidi.*

*Florim.
 Raym. de
 l'orig. de
 l'heresiel 2.
 c. I Et sui-
 vant. Cochl.
 ad ann. 1525.
 p. 110.*

Præterea Münzerus, ut suos acrius ad pugnam accenderet, illis omnem cum Principibus concordiae spem præcidebat, hancque in rem Nobilem adolescentem, qui eos ad acceptandam pacem a Principibus oblatam hortaturus mittebatur, trucidari jubebat. Verum ipsa Münzeri crudelitas tantopere exulcerabat Principum animos, ut quantocius in rusticos irruere decernerent. Nec secundus consilio deerat eventus ; quippe mox superatis rebellium aggeribus, totus exercitus ingenti clade profligatus est, aliis gladio jugulatis, aliis Frankhusium fugientibus. Tertium agmen in montis cacumine sese collegerat, sed prima explosione facta pedem retulit, cumque Fœderatorum equites promiscue cum fugitivis in oppidum penetrarent, capta urbe rusticos una omnes captos abstraxerunt. In hoc prælio cæsa sunt septem millia, & quingenti rebelles, captique omnes, qui
 Frank-